

ELENCHUS.

Ecclesiis, vel Coemeteriis commissa privetur quis Immunitate Asyli? 748

§. V.

De reliquis Criminibus Asylu privantibus, videlicet Homicidio proditorio, crimine Assassini, Hæresis, læsæ Majestatis: ubi etiam de aliis criminibus: Item de fugientibus è carcere, aut manibus scellitum.

Quæstio I. Quid ad propositum sit homicidium proditorium? 749

II. Quid sit, & dicatur Assassinium? & quinam veniant nomine Assassinorum? Item quæ requirantur ad hoc ut Asylu privetur? 751

III. Quandoam quis dicatur committere crimen læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis? Item quinam ad propositum nomine Principis veniant? 753

IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non expressa, eis tamen æqualia, vel infidem majora, enormia, & atrocissima quis privetur Jure Asyli? 754

V. An etiam Asylu gaudeant Rei è carceribus, aut manibus scellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad supplicium? Ibid.

Annectitur circa hanc materiam Bulla novissima Benedicti XIII. 755

§. VI.

De Effectibus, Favoribus, & Privilegiis Immunitatis Asyli.

Quæstio I. Quosnam effectus, favores, aut privilegia Jus Asyli pariat, Reis confugientibus ad Ecclesias, vel alia loca sacra? 758

§. VII.

De Custodia & Extrahctione confugientium ad Ecclesiam: Modoque custodiendi & extrahendi eosdem: ubi etiam de Restitutione malè extractorum.

Quæstio I. An, à quo, & quando custodiri possint ac debeant Rei ad Ecclesiam confugientes, ne elabantur, donec ab Episcopo cognoscatur, num gaudeant Immunitate, nec ne? 761

II. An, quando, & à quo Curie sæculari extradi possint ac debeant Rei ad loca sacra confugientes? 762

III. An necessaria sit licentia Episcopi ad hoc, ut Reus Criminis excepti tradi possit Curie sæculari eundem requirenti? Ibid.

IV. An, quando & quomodo Potestas sæcularis capere, aut extrahere possit Reum in loco Asyli existentem? 763

§. VIII.

De malè extractorum, aut extraditorum Restitutione: ubi de aliis penis violentiam Jus Asyli: & Absolutione ab iisdem.

Quæstio I. An, à quò, cui, & quomodo restituendus sit malè extractus, aut extraditus? 766

II. Quænam aliæ penæ sint statutæ in violatores Immunitatis Asyli? &c. 768

III. Quinam dicantur violare Immunitatem Juris

Asyli, ad hoc ut penas Juris præsertim Excommunicationem incurrant? Ibid.

IV. Quis, & quando absolvi possit ab Excommunicatione contracta ob violatam Immunitatem Juris Asyli? 769

§. IX.

De Immunitate Reali & Personali.

Quæstio I. Quid sit, & in quo consistat Immunitas Realis & Personalis, seu rerum & Personarum Ecclesiasticarum? 770

II. Quænam res seu bona Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum gaudeant hac Immunitate Reali? Ibid.

III. Quænam loca nomine Ecclesiæ, & quænam personæ nomine Ecclesiasticarum personarum in præsentem veniant ad hoc, ut ipsa & bona earum gaudeant Immunitate? 771

IV. Quo Jure Ecclesiæ Ecclesiasticæque Personæ earumque bona gaudeant Immunitate reali, & personali? 772

§. X.

De Oneribus, Præstationibus, & Exactionibus, à quibus Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, & bona ipsarum vi Immunitatis realis, & personalis sunt exemptæ: Ubi in specie de Ordinariis Oneribus, ac Tributis, Velligalibus, Gabellis, & extraordinariis exactionibus tempore communis necessitatis.

Quæstio I. A quibus Oneribus, Exactionibus &c. Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ per Immunitatem realem, & personalem sint liberæ? 773

II. Quo Titulo, & quâ conscientia Domini territoriales de Clericis hodie tributa, & alia exigant? 777

III. Ad quæ onera teneantur Clerici? 783

§. XI.

De violatoribus Immunitatis: & de penis violentiam Immunitatem realem, aut Personalem: ac de absolutione ab eisdem; ubi etiam de statutis, & legibus contra immunitatem Ecclesiasticam.

Quæstio I. Quas penas incurrant violatores Immunitatis Realis, & personalis? & quinam sint ac dicantur Immunitatis violatores, penam incurrentes? 783

II. Quisnam à dictis penis absolvi possit? 785

III. Quid Juris de Principum & Dominorum sæcularium statutis, Ordinationibus, constitutionibus pragmaticis, &c. Decretis contra Immunitatem Ecclesiasticam factis? 786

TITULUS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Negotium sæculare Clericis prohibitum? 787

II. Quænam Negotia sæcularia in specie Clericis, & Monachis sunt prohibita? Ibid.

III. Quas penas incurrant Clerici aliquod ex recentis Negotium sæculare exercentes? 789



JURIS CANONICI  
UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS  
quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributi,  
solidisque Responsionibus, & Objectionum  
Solutionibus dilucidati,

LIBER TERTIUS.

P R Æ F A T I O.



OSTQUAM in primo Libro Decretalium, præmissis quatuor Titulis, tum de Sanctissima TRINITATE, urpote Fonte, atque origine, omnis Sapientiæ & Justitiæ, tum de Constitutionibus, Rescriptis & Consuetudine, veluti generalibus Juris principis, actum fuisset de Prælatibus, & Judicibus Ecclesiasticis, eorumque institutione, & autoritate: in secundo Libro de Judiciis, quibus præfunt, seu de Progressu judiciario, ipsumque concernentibus: subnectuntur tres alii Libri, in quibus tractantur materiæ, & causæ, quæ in Ecclesiasticis judiciis tractari, & agitari solent. Hæ autem aut criminales sunt; de quibus agitur in quinto Libro Decretalium, agendo de vitis, & penis eorum: aut civiles, quarum appellatione comprehenduntur etiam causæ spirituales, atque Ecclesiasticæ, in quibus non criminaliter, seu ad publicam vindictam ob crimen infligendam: sed civiliter, atque ad privatam interesse super re, vel jure aliquo contenditur. Hujusmodi verò causæ vel concernunt personas Ecclesiasticas, earumque res, aut Ecclesias: & de his tractat iste tertius Liber: aut personas sæculares, seu laicas; uti sunt Sponsalia, & Matrimonium, eorum statui proprium, de quibus in quarto Libro agitur.

Igitur in hoc Tertio Decretalium Libro tractatur de Clericis, horumque obligationibus, & rebus; putà Beneficiis, Decimis, ac hujusmodi, simul & de Ecclesiis, atque pertinentibus ad istas. Et quia Clerici in genere, alii sunt sæculares, alii Regulares: de Clericis sæcularibus incipit præfens Liber tractare, & varia, quæ ipsos, nec non & Beneficia, resque Ecclesiasticas eorum curæ commendatas concernunt, per priores 30. Titulos resolvit. De Clericis autem Regularibus à 31. Titulo tractare incipit: atque circa finem à Titulo 40. & deinceps tractat ea, quæ Ecclesiarum consecrationem, Sacramentorum administrationem, venerationem Sanctorum, jejuniorum observantiam, immunitatem Ecclesiarum, & alia hujusmodi concernunt; pro ut amplius tum in textu Juris, tum in progressu patebit. Unde pergendo IN NOMINE DOMINI, sit

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

1 Ratio præcedentia præsentis Tituli.

TRaſtaturus Compilator Juris Canonici in hoc Libro de Clericis, ante omnia præmittendam cenſuit Rubricam, De vita & honestate Clericorum, ut pote quæ poſſimum in Clericis requiritur; cum hi veluti lucernæ poſitæ ſuper candelabrum, toti populo vel maximè vitæ, morumque honeſtate, præluce, necelle habeant. Quod ut melius intelligatur, fit.

§. I.

De Nomine, & Dignitate Clericorum.

SUMMARIUM.

- 2 Clerici, unde ſic dicantur?
- 3 Et qui ſunt?
- 4 Duo ſunt genera Chriſtianorum: & quæ? Ibid.
- 5 Clericatus eſt dignitas, & honor.
- 6 Clerici ſpecialibus meritis ſupra Laicos privilegiis, & prærogativis honorantur.
- 7 Clerici, ac præſertim Sacerdotes, ſunt Patres, & Magiſtri populi.
- 8 Imò & ipſorum Regum, ac Principum. Ibid.
- 9 Conſtantini Magni notabile dictum pro Sacerdotibus, & Monachis. Ibid.
- 10 Clericorum dignitati, nulla ſecularis eſt ſimilis. Sacerdotes in S. Scriptura aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Ibid.
- 11 Et in quo ſenſu appellantur Dii?
- 12 Populus debet eſſe diviſus à Clero, quando celebrant Divina Myſteria.
- 13 Clericorum nomen biſuram accipitur; & quomodo? Et num. ſeqq.
- 14 In materia favorabili nomen Clericorum ſumitur generaliter; ac prout comprehendit etiam primâ Tonſurâ initiatos, & Episcopos.
- 15 Imò & Monachos, atque Moniales.
- 16 Appellatione tamen Monachorum non veniunt Clerici ſeculares; & cur? Sicut & appellatione Monasteriorum nunquam veniunt Eccleſiæ ſeculares. Ibid.
- 17 In materia odioſa Clericorum nomine ſoli inferiores Clerici ſeculares comprehenduntur; non autem Episcopos, Canonici &c.
- 18 Idque probatur.
- 19 Atque declaratur inductione. Et num. 18. Episcopos non comprehenduntur ſub ulla ſententia ſuſpenſionis, aut interdictionis, niſi exprimentur, Num. 16.
- 20 Secus dicendum de pena excommunicationis; & cur?
- 21 Canonici, & alii in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, nomine Clericorum in materia odioſa non comprehenduntur.
- 22 Neque Religioſi utriuſque ſexus: niſi exprimentur &c.
- 23 Eremitæ, an veniant nomine Clericorum? Et n. ſeqq.
- 24 Eremitæ, qui antiquitus? Ibid. & num. 22.
- 25 Anachoretæ, &
- 26 Canobitæ, ac Canobium, quid?
- 27 Eremitæ præſentis temporis, ſunt in triplici differentia.
- 28 Eremitæ quandam Religionem profeſſi &c. veniunt

- nomine Clericorum.
- 25 Idem dicendum de Eremitis, qui de manu Episcopos receperunt habitum Eremiticum pro ſervitio aliquis Eccleſiæ &c.
- 26 Hujusmodi vita Eremitica, non eſt merè laicalis, ſed Eccleſiaſtica.
- 27 Idem dicendum de Tertiariis Religionum, quando ſub obedientia Prælatorum inſerviunt Ordini, aut Eccleſiæ.
- 28 Secus dicendum de Eremitis, qui ſine autoritate Prælatorum, voluntariè deſerunt habitum Eremiticum.
- 29 Niſi alicubi vigeret contraria conſuetudo.

Quæritur I. Unde Clerici ſic dicantur; & quæ ſit dignitas Clericatus? Reſp. I. Clerici, juxta Iſidorum, relatum in can. I. diſt. 21. ſic appellantur à græca voce, κληρικός, & Sors latinè, ſeu hæreditas dicitur. Et propterea dicti ſunt Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent. Hæc ibi. Voluit enim Deus ex toto Populo fideles aliquos ſibi ſpecialiter eligere, qui eſſent ſors, ſeu pars, ac hæreditas ipſius peculiaris, quæ abjectis curis ſecularibus uni DEO proliſ vacare, ejuſque ſervitio, ac cultui penitus intenderet.

Unde Clerici benè deſcribuntur, dicendo: Clerici ſunt homines Chriſtiani, qui à negotiis, curisque ſecularibus remoti, ſervitio, cultuque Divino ſpecialiter ſunt deputati. Nam, ut can. Duo ſunt genera. 12. q. 1. legitur, Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſcripturæ temporalium ceſſare convenit. Aliud verò genus eſt Chriſtianorum; ut ſunt Laici. hæc enim græcè, eſt populus latinè. His licet temporalia habere, ſed non niſi ad uſum (id eſt, non ad abuſum, ut explicat Gloſſa ibidem) Niſi enim miſeris eſſis, quæ propter numerum, Deum offendere. His conſeſſum eſt uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, cauſas agere, oblationes ſuper Altari apponere, decimas reddere: & ita ſalvari poterunt, ſi vitia tamen benefaciendo evitaverint. Hæc ibi.

Reſp. II. Clericatus eſt dignitas, & honor. Textus eſt in can. Denique. diſt. 4. ibi. Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtica gradibus exornat. Concordat can. Admittuntur. diſt. 54. & can. Reperiuntur. l. q. 1. cum ſimilibus: fateturque Imperator in l. Officiales. C. de Episcopos & Clericis. illis verbis: Ad Clericatus honorem putaverint tranſeundum. Id ipſum habetur l. Atrocem. C. de Injuriis, ibi: Cum eſſes in Sacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferres: cum ſimilibus. Ratio eſt: quia Clerici ſpecialiter in ſortem Domini vocantur, Diviniſque miniſteris per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum deputati exiſtunt: adeo, ut ſoli in Altari miniſtrare, atque juſriſdictionem Eccleſiaſticam ligandi, & ſolvendi, à Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ conceſſam, Mat. 18. & Joan. 20. exercere valeant. Qua de cauſa Clerici, ad differentiam Laicorum, de Sacro Catalogo eſſe dicuntur in Synodo Septima, c. 13. ac reſertur can. Quoniam. 19. q. 3. Hinc ulterius.

Reſp. III. Clerici omnes, ac perſonæ Eccleſiaſticae, utpote Divinis obſequiis ſpecialiter mancipati, & in Dominicis caſtris ſuper alios poſiti, ſpecialibus meritis ſupra Laicos privilegiis, ac prærogativis honorantur. Patet iſtud non ſolum ex Sacris Paginis utriuſque Teſtamenti, verum etiam ex utroque Jure, varia idecirco privilegia, & prærogativa Clericis imperante, ut l. Omnis à Clericis. & ſeqq. C. de Episcopos & Clericis. & can. Generaliter. 16. q. 1. cum innumeris concordantiis. Quia enim Clerici præ Laicis in ſortem Domini vocantur, & poteſtatem celebrandi Officia Divina, miniſtrandique in Altari, per receptionem

nem Sacrorum Ordinum divinitus acceperunt, Marth. 18. & Joan. 20. quis neget, eos præ Laicis eſſe reverendos? Cum etiam Gentiles, quantumvis veteræ Fidei lumine deſtituti, hoc ipſum Sacerdotibus ſuis eſſe præſtandum cenſuerint, ut Geneſ. cap. 47. & can. Sacerdotibus. 11. q. 1. & c. Non minùs, de Immunit. Eccleſ. & alibi.

Accedit, quòd Clerici, ac præſertim Sacerdotes, dicantur, & ſunt Patres, & Magiſtri populi, can. Sacerdotes. 6. q. 1. & can. Nolite. diſt. 21. Imò & ipſorum Regum, ac Principum, can. Quis dubitet. diſt. 96. Ubi Gregorius VII. ita cupiam reſcriptiſſe legitur: Quis dubitet, Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumque Fidelium patres & magiſtros cenſeri. Concordat textus in can. in ſcripturis. ead. diſt. 96. ubi idecirco Conſtantinus Magnus Imperator dixiſſe reſertur: Verè, ſi propriis oculis viſiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui Monſtrico habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamydem meam exſpoliare, & cooperire eum, ne ab aliquo videretur. Hæc Imperator.

Quin imò ratione ſuæ poteſtatis divinitus acceptæ, ea eſt Clericorum, ac præſertim Sacerdotum dignitas, atque præſtantia, ut nulla ſecularis ei ſimilis exiſtat, can. Duo ſunt quippe. diſt. 96. Ubi Sacra Authoritas Pontificum, Regali Poteſtati comparata, longius hanc excedere legitur, quàm ſi plumbi metallum ad aurum fulgorem compararet. Quin imò in ipſis Sacris Elogiis Sacerdotes aliquando Diis, aliquando Angeli vocantur; prout habetur, ac pluribus obſtendit can. Sacerdotibus. 11. q. 1. & can. 1. diſt. 17.

Porro Sacerdotes appellantur Dii participatiè ſolum, ſeu quatenus participant aliquod Divinitatis per excellentiam virtutum, atque poteſtatis ſibi à Deo communicatæ. In quo ſenſu Exod. cap. 7. dictum ſuit Moysi: Ego conſtitui te Deum Pharaonis. Concordant dicta ſuperius Lib. I. Tit. 1. de Summa Trinitate. §. 5. num. 84.

Unde, quòd populus debet eſſe diviſus à Clero, quando celebrant Divina Myſteria, neque tempore Miſſæ celebrandæ Laicis permiſſum ſit, in loco Clericorum (quod Preſbyterium nuncupatur) conſiſtere: textus eſt in can. Sacerdotum. de Conſecrat. diſt. 2. & cap. 1. h. t. Ad eod. ut S. Ambroſius Episcopos Theodoſium Imperatorem, intra cancellos Altaris communicare volentem, inde excluſerit, dicens: Purpuram Imperatores, non Sacerdotes efficerent. Nicephorus lib. 12. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 41. & alii.

Quæritur II. Quot modis Clericorum nomen accipiat; & quomodo eo comprehendatur? Reſp. I. Clericorum nomen biſuram accipitur, largè videlicet, ſeu generaliter, & ſtriçtè, ſeu ſpecialiter, magiſque propriè. Ita Barboſa lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. cap. 39. n. 1. & ſeqq. & communis; idque patet declarando terminos. Et quidem largè, ſeu generaliter loquendo, Clericorum nomine veniunt omnes omnino perſonæ, quæ in ſortem Domini vocatæ, atque Divinis officiis obeundis, verique Dei cultui ac ſervitio ſpecialiter ſunt deputatæ; ſive deni talis deputatio fiat per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, ſive per profeſſionem Religioſam, arg. can. Si quis ſuadente. 17. q. 4. ibi: In Clericorum, vel Monachum, violentas manus inſecerit. Atque in hoc ſenſu etiam Moniales, & Religioſi converſi (quos alii appellant Fratres Laicos) Clericorum nomine intelliguntur. Poſteriori modo, ſeu magis ſpecialiter, & propriè loquendo, Clerici ſunt, atque dicuntur illi ſoli, qui Ordine aliquo Eccleſiaſtico, vel ſaltem primâ Tonſurâ ſunt initiati; ſiveque ſpecialiter Divinis miniſteris deputati, arg. can. Cleros. diſt. 27.

Reſp. II. In materia favorabili nomen Clericorum ſumitur generaliter, ac prout comprehendit non ſolum primâ Tonſurâ, ac Ordinibus Sacris initiatos; Reiffenſtuel Jus Can. Tom. III.

ſed etiam Monachos, & Regulares, imò & Moniales cujuſcunque Religionis ab Eccleſia approbatæ. Ita Abbas cap. 1. n. 9. de Jurament. calumn. Card. Tuſchus Lit. C. Concl. 377. num. 2. & ſeqq. Barboſa lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. cap. 39. num. 2. & ſeqq. & communis aliorum. Prior pars liquet ex can. Cleros. diſt. 21. & c. Cum contingat. 11. de Erare & qualiter præficiend. Ubi non ſolum in Sacris Ordinibus exiſtentes, ſed etiam primâ Tonſurâ initiati, Clericorum appellatione veniunt. Quia igitur favores ſunt amplandi, non eſt, ut quis eorum à tali favore excluſatur, ſive ſit ſimplex Clericus, ſive Curatus, aut Canonius, vel Episcopos; ut can. Si quis ſuadente. 17. q. 4. cum ſimilibus. Dummodò materia ſubjecta eiſdem ſingulis fit adaptabilis, neque aliunde de contraria diſpoſitione, ſed alia mente Legislatoris pateat.

Altera pars, aſſerens, in materia favorabili nomine Clericorum venire Monachos, imò & Moniales; deſumitur ex cit. can. Si quis ſuadente. 17. q. 4. Ubi Clerici, & Monachi, in materia favorabili, totumque ſtatum Eccleſiaſticum reſpiciente, æquiparantur. Et cum ibidem expreſſa mentio de Monialibus facta non fuiſſet, nihilominus Canonem illum etiam in Monialibus procedere, poſteà declaratum ſuit c. De Monialibus. 33. de Sement. excomm. & conſequenter in materia favorabili, ſuoque ſtatui adaptabili etiam Moniales nomine Clericorum veniunt. Id ipſum deſumitur ex cap. 1. de Jurament. calumn. ubi prior conſtitutio, quæ cavebatur, ut nullus Clericus jurare præſumatur (preſtando videlicet juramentum calumniam ſine licentia Superioris) per poſtèriorem Conſtitutionem, quæ eſt interpretativa, ſeu declarativa prioris, intelligitur etiam de Abbatibus, Monachis & Sanctimonialibus: & conſequenter hæc perſonæ veniunt nomine Clericorum in materia favorabili, ſibi que adaptabili. Accedit ratio, deſumpta ex nominis etymologia: quia Clericus dicitur Cleros, quod eſt ſors; ſeu, quia Clerici ſunt in ſortem Domini electi, can. Duo ſunt genera. 12. q. 1. Atqui etiam Monachi, & Sanctimoniales, per aſſumptionem Religionis ab Eccleſia approbatæ, ſpecialiter eliguntur in ſortem, ſeu partem Domini; ergo, Abbas cit. n. 9.

Dices. Appellatione Monachorum non veniunt Clerici ſeculares, ne quidem in materia favorabili; ut notat Abbas cap. 1. n. 9. de Jurament. calumn. Sylveſter 3. Clericus. 1. n. 2. Bellettus Diſquiſit. Clerical. part. 1. §. 2. n. 9. & alii: ergo nec viciffim nomine Clericorum venire debent Monachi, quamvis materia ſi favorabilis. Reſp. Conſeſſo antecedente, negando conſequentiam, & paritate. Diſparitas eſt: quia Monachis competit etymologia nominis Clericorum, ut proximè dictum: e contra verò Clericis ſecularibus non competit etymologia vocabuli Monachus; uti liquet ex can. Faciunt communi. 16. q. 1. ubi legitur, quòd juxta nominis interpretationem dicitur Monachus, id eſt, unus triſtis. Unde eidem ratione (ſubdit Abbas cit. n. 9.) appellatione Monasteriorum, nunquam veniunt Eccleſiæ ſeculares.

Reſp. III. Nihilominus in materia odioſa, ſive ſtriçtè interpretatiſſime, nomine Clericorum ſoli inferiores Clerici ſeculares comprehenduntur; non autem Episcopos, ſiveque Canonici, aut alii in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti: niſi ſecus exprimat, vel aliunde de oppoſito conſtat. Ita Barboſa cit. lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. cap. 39. n. 6. & ſeqq. Bellettus d. §. 2. n. 4. 5. & ſeqq. Card. Tuſchus Lit. C. Concl. 377. num. 4. & ſeqq. Fagnanus c. Bone memorie. lib. 1. num. 12. de Poſtular. Prælat. & alii. Concordant dicta ſuperius Lib. 1. Tit. 2. de Conſtitutionibus. §. 17. num. 427. & ſeqq. & n. 435. & 436. ubi plura huc pertinentia videri poſſunt.

4 Lib. III. Decretal. Tit. I. De Vita & honestate Clericorum.

- 15 Conclusio hæc desumitur ex illa vulgata Reg. 15. Jur. in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari. Item ex Reg. 49. eod. in 6. In penis benignior interpretatio est facienda, cum concordantibus. Accedit ratio: quia in materia restringibili, ubicunque species ponit aliquid ultra genus suum, tunc appellatione generis non venit illa species: atqui in Episcopis, Canoniceis, & aliis in Dignitate Ecclesiastica constitutis ponitur, seu reperitur aliquid ultra genus suum; nempe qualitas superioritatis, præcellentie, seu dignitatis supra simplicem Clericatum; ergo. Major est Abbas, & Fagnani, ubi supra: atque desumitur tum ex c. In generali. 31. de Reg. Jur. in 6. tum etiam ex l. Item epud. §. Hoc editum. ff. de Injuriis; ubi ea, quæ specialia notâ digna sunt, nisi exprimentur, censentur omnia de industria.
16 Id ipsum probatur, atque declaratur inductione. Sic imprimis Episcopos, eorumque Superiores in materia odiosa, seu pœnali, non comprehendunt nomine Clericorum, clarè desumitur ex c. Quia periculosum. 4. de Sentent. excommunicat. in 6. ubi expressè declaratur, Episcopos, & alios superiores Prælatos, putâ Archiepiscopos, Patriarchas & Primate, non comprehendunt sub ulla sententia Suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressâ mentio habeatur: & hoc propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit; prout loquitur Pontifex ibid.
17 Fatendum tamen, quod cit. c. Quia periculosum. de Sentent. excommunicat. in 6. procedat quidem in pœna Suspensionis, & Interdicti, de qua loquitur: non item in pœna excommunicationis; prout notat Glossa ibid. §. Suspensionis, & Ancharanus n. 1. post Innocentium, Hostiensium, Jo. Andream, Pirhing eod. tit. n. 196. & alii. Unde Episcopi non sunt liberi à pœna excommunicationis generaliter lata à Canone, vel alias: ac proinde etiam ipsi comprehenduntur sub pœna excommunicationis ipso jure inflicta percussoribus Clericorum, can. Si quis suadente. 17. q. 4. & cap. 1. junctâ Glossâ v. Prælatos. de Homicid. in 6. & c. Sciam cuncti. 12. de Election. in 6. cum similibus. Ratio disparitatis est: quia, licet excommunicatio pluribus bonis privet, quam Suspendio vel interdictum. nihilominus excommunicatio est medicinalis, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, ut loquitur textus cap. 1. de Sentent. excommunicat. in 6. ac proinde nunquam infligitur ad certum tempus; sed præstitâ satisfactione, atque emendâ, protinus relaxari, seu absolvi debet. Secus accidit in Suspensione, quæ nonnunquam infligitur ad certum tempus, putâ ad triennium; ut cap. 1. §. fin. de Election. in 6. & c. Cupientes. 16. §. Ceterum. eod. in 6. cum similibus. Atque idcirco, quod Papa noluerit privilegiare Episcopos etiam quoad pœnam excommunicationis in cit. c. Quia periculosum. 4. de Sentent. excommunicat. in 6. quin imò ex littera ipsius subrahendum censuerit ly, Excommunicationis, quod in prima Editione jam fuerat positum: notat Glossa ibid. §. De Episcopis, & Jo. Andream in d. c. Quia periculosum, citans Hostiensium.
18 Desinde, quod Canonici, & alii in Dignitate Ecclesiastica constituti, nomine Clericorum absolute posito, & in materia odiosa, non comprehendantur; probat Fagnanus cit. num. 12. ex c. Sedes Apostolica. 15. de Rescriptis: ubi dicitur, quod Majores & digniores persone sub generali clausula non intelligantur includi: & amplius declarat Glossa ibid. §. Majores. Accedit alius textus valide notabilis in c. Statutum 22. de Election. in 6. ubi in materia pœnali & odiosa, appellatione Ecclesie Parochialis, & assumptorum ad eam, non veniunt Ecclesia Collegiata, & assumpti ad ipsius regimen (id est, Canonici ejus) etiam si Parochialis: idque propter eminentiam, quam habent Cano-

nici supra alios Clericos; & quia Canonici habent qualitatem Collegii supra curam, ut addit Abbas ad Rubric. h. t. n. 12.
Resp. IV. Insuper in materia odiosa nomine Cleri 19 non comprehenduntur Religiosi utriusque sexus: nisi istud exprimat, vel ex subiecta materia, aliusque circumstantis secus appareat. Ita Abbas c. Non amplius. num. 3. & Fagnanus ibid. n. 7. de Institut. qui alerunt, quod nomine Clericorum, seu Ecclesiarum, non veniant Monachi, seu ipsorum Monasteria, in stricta materia: aliâ secus. Suarez disp. 32. de Censuris. sect. 2. num. 17. Layman. lib. 1. Theol. Mor. tract. 5. part. 4. cap. 4. n. 3. cum aliis docens, quod interdicto Clero, non censentur interdicti Religiosi utriusque sexus, nisi exprimentur, vel ex materia subiecta, vel eandem ferendi, aliusque circumstantiis contrarium appareat; contra Navarum cap. 27. Manual. num. 167. & Covarruviam c. Alma. part. 2. §. 1. n. 8. §. Quindò his addendum, qui volunt, Interdictum Cleri comprehendere Religiosos. Ratio Conclusionis est: quia in Jure Canonico passim ista ponuntur, tanquam diversa: ut can. Si quis suadente. 17. q. 4. & c. Super specula. 10. Ne Clerici vel Monachi &c. junctâ Rubricâ. ibid. Quod ipsum alibi sæpius contingit, ac præsertim Libro III. Decretalium; ubi ista clarè ponuntur tanquam diversa, agendo in prioribus Titulis de Clericis, & Tit. 31. ac seqq. specialiter tractando de Regularibus, ergo in materia, saltem odiosa, nomine Clericorum non veniunt Religiosi, nisi exprimentur, vel ex subiecta materia secus appareat. Ceterum, qui omnes nomine Regularium comprehenduntur, commodè dicitur infra Tit. 31. de Regularibus. & transmittitur ad Religionem, inscripto: solummodo de Eremitis remanet specialis difficultas; unde
Queritur III. Utrum Eremitæ veniant nomine Clericorum? Ubi prænotandum, quod antiqui Eremitæ dicebantur, qui primò in solitudine, sive eremo habitabant, ibique duriter, subduco cibo, & in omnium asperitate corpus exercendo, sub obedientia Episcoporum virtuosæ vitæ fudebant. Et horum vitæ commendatur in Concilio Chalcedonensi, relato in can. Qui verè. 16. q. 1. illis verbis: Qui verè purèque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Atque hujusmodi Eremitæ differabant ab Anachoretis, & Cœnobitis. Nam Anachoretæ proprie erant illi, qui sine certa habitatione per deserta vagantes, ne à populis inviserentur, ibi quiescebant, ubi nox ipsos invenisset. De quibus fit mentio in Auth. de Monachis. §. Cogitandum. junctâ Glossâ v. Anachoretas. Collat. 1. ibi. Quos vocare Anachoretas, id est, discedentes, & Hesychnas; id est, quiescentes, consueverunt.
Porro Cœnobites appellabantur illi, qui simul vivebant in Cœnobis, seu Monasteriis, Monachalem vitam ducebant. Et dicebantur Cœnobites, id est, simul viventes: unde originem traxit ly Cœnobium, sive locus Religiosorum communem vitam ducentium; de quo fit mentio cap. 2. §. 1. de Ordine cognit. Et hi omnes generali nomine vocabantur Monachi, id est, soli: quamvis magis proprie istud nomen fortiterentur, qui in eremis, seu solitudinibus habitarent; ut can. 1. caus. 16. q. 1. & can. Si cupis. & can. Placuit communi. 16. q. 1. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 41. num. 13. & seqq. Atque ista procedunt juxta antiqua tempora.
Verùm loquendo pro statu præsentis temporis, est 23 dimittere inter Eremitas. Nam aliqui horum emittunt tria vota substantialia cuiuspiam Religionis, ab Ecclesia approbatæ: & de his fit mentio in cap. un. §. fin. junctâ Glossâ v. Licentia. de Excessib. Prælat. in 6. ubi permittitur Religiosis Mendicantibus, quod de licentia Prælatorum suorum possint vitam Eremiticam

§. I. De Nomine & Dignitate Clericorum.

Eremiticam eligere. Alii verò, quamvis non sint Professii cuiuspiam Religionis per emissionem trium votorum substantialium; tamen auctoritate Episcopi fuerunt deputati pro servitio cuiuspiam Ecclesie, vel Oratorii, atque de manibus Episcopi susceperunt habitum Eremiticum, & sub illius obedientia vivunt: prout multos se vidisse in statu Ecclesiastico, & alibi, refert Fagnanus c. Nullus. n. 61. de Foro comper. Tandem nonnulli sunt Eremitæ, qui non sunt deputati servitio cuiuspiam Ecclesie auctoritate Prælati Ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque pro libitu suo deserunt habitum Eremiticum. Quibus prænotatis,
24 Resp. I. Certum est, quod Eremitæ quandam Religionem ab Ecclesia approbatam sub emissionem trium votorum substantialium professi, in materia favorabili veniant nomine Clericorum; sicut gaudent privilegio Fori, & Canonis, cum similibus. Ratio est clara: quia tales Eremitæ sunt veri, & proprie dicti Religiosi; ut cit. cap. un. de Excessib. Prælat. in 6. & c. Privilegium. 4. de Verb. signif. in 6. In quo posteriori loco Monachi sive Fratres in cellis ad Monasterium aliquod inspectantibus residentes (hoc est, loca secreta & solitaria, que ab hominum separata convictu, sunt ad contemplandum, & Deo vacandum specialiter deputata, inhabitantes) non solum reputantur veri Religiosi, sed etiam singulari derogant privilegio exemptionis.
25 Resp. II. Illi etiam Eremitæ, qui licet non sint professi cuiuspiam Religionis, tamen de manu Episcopi receperunt habitum Eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio cuiuspiam Ecclesie, vel Oratorii, censentur persone Ecclesiasticæ; sicut in favorabilibus veniunt nomine Clericorum. Ita Glossa can. Qui verè. 16. q. 1. §. Verò, asserens, quod Eremitæ privilegium Clericorum habeant, licet non renunciant propriis. Fagnanus cit. c. Nullus. num. 61. de Foro comper. post Cardinal. in Clem. Per litteras. n. 9. de præbend. Anton. de Butrio Consil. 19. n. 19. vers. Unde ex hoc. & alios. Idem tradit Innocentius c. Cum Monasterium. 13. de Election. dicens, quod licet Eremitæ possint habere proprium, quia non abrenunciant, tamen Ecclesiasticæ persone sunt &c. Quod ipsum tradit Jo. Andreas c. Cum Monasterium. n. 12. de Election. & Aloys. Riccius in Praxi part. 2. Resol. 149. n. 1. allegans plurimos alios; atque asserens, esse communem D. eorum, quod hujusmodi Eremitæ gaudeant privilegio Fori; & si delinquant, remittendi sint ad Judicem Ecclesiasticum.
26 Conclusio hæc desumitur ex cit. can. Qui verè. 16. q. 1. Ubi dicitur, quod veri Eremitæ (ut puta, recepti auctoritate Episcopi &c.) Digni sunt convenienti honore: sicut præteritur per hunc merè Laicibus. Accedit, quod can. ult. §. Item Joannes. 2. q. 7. dicatur, Sanctum Joannem Baptistam duxisse vitam Eremiticam; ergo hæc non est vita merè laicalis, sed Ecclesiastica. Idem amplius probatur ex can. Duo sunt genera. 12. q. 1. Ubi illud Christianorum genus reputatur inter Clericos, quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. Atqui his annumerantur Eremitæ, recepti auctoritate Episcopi loci ad servitium cuiuspiam Ecclesie, vel Oratorii; ergo.
27 Et que hæcenus dicta sunt de Eremitis, è manibus Episcopi habitum Eremiticum recipientibus, atque sub ejusdem obedientia servitio cuiuspiam Ecclesie, vel Oratorii incumbentibus; procedunt pariter de Tertiaris, seu de illis, qui habitum tertie Regularium cuiuspiam Ordinis de manu Prælatorum Regularium, ad hoc auctoritate Pontificâ facultatem habentium recipientes, sub ejusdem, vel Episcopi loci obedientia vivunt, atque Ordini, vel alteri Ecclesie

inserviunt; quamvis tria vota substantialia Religionis non emittunt, atque idcirco proprium habere possint. Ratio est, quæ supra. Accedit, quod tales Eremitæ, etsi non sint proprie Religiosi, ob defectum votorum substantialium, profiteantur nihil minus aliquem vivendi modum ab Ecclesia permittum, imò & approbatum: ergo, cum deserant habitum Eremiticum, legitimâ auctoritate à Prælatu Ordinis sibi concessum, atque à sæcularium vestibus patenter distinctum; simulque Ordini, vel Ecclesie inservientes, Divinis Officiis specialiter sint mancipati, nequeunt censeri esse professionis merè laicalis; sicut in materia favorabili veniunt nomine Clericorum, gaudentque Privilegio tum Fori, tum Canonis.
Resp. III. Econtra Eremitæ illi, qui non sunt professi quandam Religionem, necque deputati Ecclesie servitio auctoritate Prælati Ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque ad libitum deserunt habitum Eremiticum, neutquam sunt persone Ecclesiasticæ; nec ullo modo gaudent Privilegio Clericali. Ita Jo. de Lignano in Clem. Per litteras. de Præbend. asserens, quod sicuti Eremitæ (hujusmodi videlicet) ex utero matris exierunt laici; qui perseverent laici, & sub potestate Imperatoris. Cardinalis in ead. Clem. per litteras. num. 9. Riccius cit. Resol. 149. num. 9. Fagnanus d. c. Nullus, num. 63. de Foro comper. citans alios; atque asserens, in hoc convenire Doctores. Ratio est: tum quia tales non sunt adstricti voti Religiosæ, nec sub tali speciali ratione præ Laicis Episcopo loci, vel alicui Superiori Regulari; neque ad illum usum pium, sive Ecclesiasticum auctoritate Ecclesie, hoc est, Prælati facultatem habentis, sunt deputati. Quin imò vivunt sicuti locutiæ sine Rege, ut inquit Glossa can. Qui verè. 16. q. 1. §. Verò, vagantes hinc inde sine certo duce, atque etiam ad libitum recedentes: unde nihil eis supervenit, ex quo desinant esse meri Laici, atque eripiantur à jurisdictione Imperatoris. Tum quia absurdum foret, quod tales pro sola voluntate sua possent se eximere à jurisdictione sæculari. Abbas c. Nullus. n. 10. & Fagnanus ibid. n. 63. de Foro comper. cum alii.
Fatendum tamen, quod si alicubi vigeret consuetudo, ut tales etiam Eremitæ gauderent Privilegio Fori, aut hujusmodi, dicta consuetudo foret observanda: cum neque sit contraria Legi Divinæ, aut bonis moribus; nec aliunde irrationalibus, vel à Jure communi reprobata inveniat. Fagnanus loc. cit. n. 64. allegans alios, atque num. 70. Declarationem Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum desuper factam adducens.
§. II.
De honestate vitæ Clericalis in genere, & quoad nonnulla in specie.
SUMMARIUM.
30 Duplex in Clericis requiritur vitæ honestas, interior & exterior.
31 Debentque quoad utramque Laicos antecellere. Et num. segg.
32 33 & 34 Afferuntur notabiles textus quoad hoc.
35 Vitæ honestas Episcoporum describitur à D. Apostolo cap. 1. ad Titum.
36 Que suomodo etiam in Clericis inferioribus desideratur.
37 Ea in exterioribus quoque Clericorum moribus elucescere debet.
38 Clerici, etiam Minoris, tenentur castè vivere: alioquin per Judicem Ecclesiasticum sunt puniendi.
Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

6 Lib. III. Decretal. Tit. I. De Vita & honestate Clericorum.

- Ditio, Præsertim, est implicativa. Ibid.
39 Differunt tamen Minoritæ à Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, quoad obligationem servandi castitatem. Et num. seqq.
40 Clerici in Sacris constituti, tum illicitè, tum invalide contrahunt matrimonium.
41 Tenenturque servare perpetuam continentiam, non solum ex motivo Castitatis, sed etiam ex virtute Religionis.
42 Inferitur Corollarium prædicium.
43 Accessus ad Moniales alloquendas est prohibitus, præsertim Clericis. Et num. seqq.
44 & 45. Frequentare Monasteria Monialium, quis censetur?
Dua vices in criminalibus, inducunt consuetudinem; & quando secus? Ibid.
45 Crapula, quid, & quam nociva? Et num. seqq.
47 Ebrietas, & Ebricitas, quis?
48 Clericis à crapula, & ebrietate abstinendum est: alioquin, si motui non abstineant, ab officio, vel beneficio suspendendi sunt.
49 Et ratio tam rigida prohibitionis. Et num. 46. & 47.
50 Dicitur pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, non est læta sententia.
51 Simulque relinquatur arbitrio Judicis, quæ harum suspensio sit intelligenda.
52 In penis alternativis quandoque datur optio Reo, quandoque Judicis; idque declaratur.
53 Clericis est prohibitum, edendi, & bibendi causâ ingredi tabernas cautionarias, extra necessitatem itineris.
54 A vitio avaritiæ cum primis Clericos oportet esse alienos. Et num. seqq.
55 Et hujus ratio specialis.
56 Clerici prohibentur exercere officia, vel commercia secularia.
57 Eisdem prohibitus est alearem, seu taxillorum lusus.
58 Et qualiter sic ludentes peccent?
59 Judices Ecclesiastici debent gratis judicare.
60 Clerici tenentur bona Ecclesiastica superflua in pias causas erogare.
Nec possunt de ipsis per testamentum disponere; & cur? Ibid.
61 In Clericis, præsertim Beneficiariis, requiritur hospitalitas, veluti debita.
62 Idque fit pluribus de causis.

30 Quæritur I. Ad quam generatim vitæ, morumque honestatem Clerici obligentur? & I. Generatim loquendo, duplex in Clericis requiritur vitæ honestas, interior videlicet, ac exterior. Harum prior consistit in munditia cordis, atque interno cœlestium virtutum exercitio: nam Clericos, utpote specialiter in fortem Domini vocatos, atque Divino Officio mancipatos, convenit cessare ab omni strepitu temporalium, & deditos esse contemplationi, & orationi, juxta textum can. Duo sunt genera. 12. q. 1. Concordat illud Propheticum Isaie cap. 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini, cum similibus. Exterior autem honestas Clericorum consistit præcipue in tribus; videlicet in recta probitate morum, ac honesta conversatione; in honesto, ac decenti habitu; atque in debito, convenientique exercitio officiorum, & negotiorum statui suo convenientium, fuscique non convenientium: de quibus plura singillatim in progressu.

§. Infames. 6. q. 1. ubi Sanctus Petrus, Apostolorum Princeps, præcepisse legitur, Cunctiorum Sacerdotum vitam superiorem, sanctioremque. ac discretam à secularibus, & laicis hominibus esse. Id ipsum, atque universaliter de omni gradu Clericorum loquendo, habetur c. Qualis enim. 8. q. 1. illis verbis: Unde non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident conversatione, sermone & scientiâ præcedant: verum etiam, & inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, Aëditui, Acolythes, & omnes omnino, qui domui Dei inserviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse, quàm Clericos; cum similibus. Hinc Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de Reform. saluberrimè decrevit in hæc verba: Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicaverunt: cum enim à rebus sæculi in altiorum sublatis locum conspiciantur, in eos tanquam speculum relictis oculis conspiciantur, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic deest omnino Clericis in fortem Domini vocatis, vitam, moreque suos omnes componere, ut habitus, gestus, incessus, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant: levitia etiam delicta, que in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum à cunctis oculis deferant venerationem. Hæc enim Concilium: quibus similia habet Sess. 25. cap. 1. de Reform. & alibi. Atque hæc procedunt non solum de Clericis inferioribus, sed vel maxime in Episcopis, aliisque Prælatibus Ecclesiasticis. Nam, ut idem Occumenicum Concilium Sess. 25. cap. 1. de Reform. observat: Totius familie Domini status, & ordo nudatis, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. Etenim Prælati debent esse Duces gregis, & Pastores, can. Sciscitatis. 7. q. 1. Atque vna Pastoris, debet esse exemplar subditis, can. Cum postior. 2. q. 7. Unde, qui præfunt, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innovescere debent, can. Nos qui præsumus, dist. 40. & l. Si quempiam. C. de Episcop. & Cleric. Alioquin Vilissimus comparandus est, nisi præcellat scientiâ, & sanctitate, qui est honore præstantior; prout inquit Symmachus Papa, relatus can. Vilissimus. 45. caus. 1. q. 1. Pult. hinc ad propositum S. Gregorius Papa Homil. 7. in Luc. 10. sic loquitur. Nullum puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus, tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuitis; nulla animarum lucra querimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus &c. Hæc ille, pluribus in progressu deplorans miserandam quorundam Pastorum malitiam, qui quærens, quæ sua sunt, non quæ JESU Christi, Mercenarium agunt; veniente lupo fugientem, non Pastorem, oves sibi committas in necessitate descendentem. Unde idem S. Gregorius Papa Homil. 14. in Evang. sic ait: Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non querit: terrenis commodis inhærit, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pasciunt, impensâ sibi ab hominibus reverentiâ lætatur: cum similibus. Atque istud maxime malitiæ genus est, & plurimorum causa malorum, teste S. Chryostomo Homil. 59. in Joan. Quæ de causa æternum Væ talibus impiis, atque indignis Pastoribus, imprecatur Dominus apud Ezechiel. cap. 34. dicens: Væ pastoribus Israël, qui pascebant senectuos. Nonne greges à pastoribus pascentur? Resp. III. Integritatem vitæ, morumque honestatem.

§. II. De honestate vitæ Clericalis in genere, & quoad &c. 7

statem, præsertim in Episcopis requisitam, paucis complectitur S. Apostolus cap. 1. ad Titum, scribens: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidèlem sermonem &c. Atque de hujus virtutum prærogativis ad longum, & ex professo, agitur in Decreto Gratiani, dist. 40. 41. & seqq. Singulas hæc qualitates, specialiter in Episcopis requisitas, pluribus Conciliorum, atque SS. Patrum autoritatibus exorandis, & declarandis. Resp. IV. Prædicta virtutum ornamenta, licet specialiter requirantur in Episcopis, veluti perfectioris Magistris, suo tamen modo etiam in Clericis inferioribus desiderantur. Ita communis. Unde idem Apostolus, cit. cap. 1. ad Titum scribens, præcepit quidem, constitui pro ipsum Presbyteros, sed non nisi probos, omnique crimine carentes: ut constituat (inquit) per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est &c. Idem 1. Timoth. cap. 3. loquens de Diaconis, ait: Oportet Diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Id ipsum requiritur passim Sacri Canonis; ac novissimè Concilium Tridentinum Sess. 14. in Precon. de Reform. & Sess. 22. cap. 1. de Reform. & Sess. 23. cap. 5. & seqq. de Reform. & alibi. Resp. V. Honestas vitæ Clericalis etiam in exterioribus Clericorum moribus elucere debet. Sic quippe can. Clericus dist. 41. in Concilio Carthagenensi 4. cap. 45. referitur statutum: Clericus professionem suam & habitum, & integritatem probet. Unde, ut ibid. §. Sicut. subjungitur, In incellu debet esse Sacerdos ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus Epist. 109. ait) inæqualitatem indicat mentis. Huc facit illud Æternæ Sapientiæ, Ecclesiastica cap. 19. generaliter de omnibus pronuntiatur: Ex visu cognoscitur vir, & ab occursum faciei cognoscitur sensatus. Amicus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis emittunt de illo. Patet proinde, quam necessaria sit Clericis gravitas morum, atque honestas vitæ etiam exterioris: ne forte (quod absit) verificetur in ipsis illud Propheticum Isaie cap. 59. Non est Judicium in gressibus eorum. Sed potius, juxta monitum Apostoli 1. Corinth. 14. per ipsos Clericos omnia honeste, & secundum ordinem fiant. Verum descendendo ad specialiora, Quæritur II. Sub qua obligatione Clerici teneantur castè vivere? Resp. I. Clerici non solum in Sacris Ordinibus constituti, sed etiam Minoritæ, tenentur ab omni libidinis vitio abstinere, castèque vivere: alioquin per Judicem Ecclesiasticum pro merito culpe sunt puniendi. Textus est in c. Ut Clericorum. 12. h. t. quod est delumptum ex Concilio Generali, seu Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. & sic iterata loquitur: Clerici continentur, & castè vivere studeant universi, præsertim in Sacris Ordinibus constituti: ab omni libidinis vitio præcaverent &c. Et infra: Statuimus, ut qui comprehensiverint incontinentiâ vitio laborare, prout magis, aut minus peccaverint, puniantur. Ubi Abbas n. 2. ponderando ly, præsertim in Sacris Ordinibus, rectè notat, textum illum etiam procedere in Clericis Minoritæ: nam dictio, Præsertim, est implicativa; atque ex propria vi, & natura implicat, idem esse in casu contrario (puta, quamvis Clericus non sit constitutus in Sacris) licet in illo fortior militet ratio. Everardus Loco II. de Natura Dictionum implicativarum. num. 1.

& seqq. Barbosa Tract. de Dictionibus Diction. 277. n. 1. & seqq. & alii. Resp. II. Nihilominus quoad obligationem servandi castitatem, est notabilis differentia inter Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, & inter Clericos Minoritæ. Ita Abbas cit. c. Ut Clericorum. n. 2. h. t. & communis Theologorum, atque Canonistarum. Siquidem Clerici Minoritæ licet possunt, si voluerint matrimonium inire, uxoremque ducere, cap. 1. & c. Quod à te 3. de Clericis conjugat. & alibi: secus est in Clericis constitutis in Sacris. Deinde differunt in quantitate delicti: nam minus peccant (cæteri paribus) Clerici Minoritæ extra matrimonium violantes castitatem, quam Clerici in Sacris Ordinibus jam constituti: eò quod illi peccent contra solum virtutem Castitatis; hi vero etiam peccent contra virtutem Religionis, ob annexum Sacris Ordinibus votum continentiæ. Quod ut melius intelligatur; Resp. III. Clerici in Sacris Ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam, seu castitatem: adeo, ut non solum illicitè, sed etiam invalide contrahant matrimonium. Ita communis: idque patet ex can. Presbyteris. dist. 27. & can. Nullum facere. ac seqq. dist. 28. & cap. 1. & 4. de Clericis conjugat. cum concordantibus; juncto Concilio Tridentino Sess. 24. can. 9. oppositum damnante sub anathemate. Quin imò, si Clericus in Sacris constitutus præsumeret matrimonium contrahere, præter hujus nullitatem, aliâque pœnas idcirco debitas, etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurreret, Clem. Eos qui de Consanguinit. & affinit. Verum de hoc plura inferius Tit. 3. De Clericis conjugatis. Resp. IV. Clerici in Sacris Ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam non solum ex motivo Castitatis, ut cæteri homines extra legitimum matrimonium: sed etiam ex virtute Religionis, ratione voti Castitatis Jure Ecclesiastico Sacris Ordinibus annexi. Ita Glossa c. Cùm olim. 6. §. Votum continentie: de Clericis conjugat. illud, argumentum à sensu contrario delumptum, probans per textum ibid. dicentem: Nos attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentie non admittit. Glossam legitur Abbas ibid. n. 4. allerens, eam quotidie allegari in materia Barbosa part. 2. de offic. & potest. Episcop. allegat. 15. n. 2. citans alios: eandemque sententiam in terminis tradit Scortus 4. dist. 25. q. 2. §. Hic breviter, inquit: Quia susceptio Ordinis Sacri annexum est votum continentie; ut habetur extra c. Ad multis. de Etate & qualitat. Atque contra nonnullos alios, Doctorem Subtilem in contrarium sententiam trahere conantes, soluto horum Fundamento, egometipse ex professo ostendi in Theolog. Moral. Tract. 14. Dist. 12. n. 27. 28. & 29. Inferitur proinde, quòd Clerici in Sacris constituti, ratione voti Castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata delectatione venerea, ætèque tum interno, tum externo, qui militat contra virtutem Castitatis: uti sunt, non solum fornicatio, aut alius actus venericus; sed etiam cogitationes veneræ, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obscæni &c. Unde, quidquid in secularibus extra legitimum matrimonium, est aliquo modo peccatum contra Castitatem; id ipsum in memoratis Clericis est etiam sacrilegium, ratione voti, ad quæ habet duplicem malitiam: ita tamen, ut malitia sacrilegii sit mortalis in illis ætibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis, prout non raro contingit ratione inadvententiæ, & imperfecti consensûs. Lessius Lib. 2. de Just. & jur. cap. 41. n. 78. cum aliis; & jam dixi in Theolog. Moral. Tract. 5. Dist. 3. n. 15. Quæritur III. Quâ ratione sit prohibitus, præsertim Clericis, accessus ad Moniales alloquendas? Resp.

8 Lib. III. Decretal. Tit. I. De Vita & honestate Clericorum.

De hoc extat peculiaris Constitutio in c. Monasteria 8. h. t. Ubi pro meliori observantia castitatis, ex utraque parte Deo promittitur, specialiter prohibetur, ne Monasteria Sanctimonialium quisquam Clericus sine manifesta & rationabili causa frequentare presumat: alioquin per Episcopum arceatur, & si non desiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. Si Laici hoc ipsum facere presumpserint, excommunicationi subdantur, & a casu Fidelium fiant penitus alieni. Ita Concilium Generale, seu Lateranense sub Innocentio III. cap. 11. quod refertur d. c. Monasteria. 8. h. t.

44. Circa quem textum ponderandum est ly, frequentare: siquidem in presenti Capitulo sola frequentia reprobatur, ut notat Glossa ibid. y. Frequentare. Subjungit tamen eadem Glossa, quod hujusmodi frequentatio videatur induci ex duabus vicibus, seu binis accessibus ad dicta Monasteria Monialium, harumque allocationibus, arg. can. Ita nos. 25. q. 2. juncti Glossa ibid. y. Usum inde inferente, quod duae vices in criminalibus inducant consuetudinem. Id ipsum tenent Stephan. Gratianus Disceptat. Forens. 393. num. 17. cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Barbosa in Collectan. ad cit. c. Monasteria. n. 7. & 8. h. t.

45. Verum, licet caeteroquin in criminalibus geminatio actus criminosis censetur inducere consuetudinem, talem videlicet, quae sufficit ad gravioerem ejus punitionem, ut jam dictum supra Lib. I. Tit. 4. De Consuetudine. §. 4. num. 121. & 124. nihilominus in proposito casu videtur melius dici, istius frequentiae declarationem esse relinquendam arbitrio Judicis, qui id iudicabit pensatis aliis circumstantiis. Potest enim contingere, quod quis decem vicibus alloquatur Moniale, & tamen non censetur frequentare ejus alloquium; puta, si id fiat spatio trium, vel plurium annorum, semper interpolatis spatio trium, vel plurium mensium: e contra vero ille censetur frequentare, qui tribus vicibus, diebus continuis, abque ulla manifesta & rationabili causa eam alloqueretur. Ludov. Miranda tract. de Sacris Monialibus. quest. 4. art. 1. concl. 1. Barbosa, ubi supra, n. 8. & part. 2. de Officio. & possess. Episcop. allegat. 102. n. 70. post Navarrum in can. Cum consideret. nu. 23. de penit. dist. 5. Pirhing h. t. n. 3. allegans Sanchezium lib. 6. in Decalog. cap. 16. num. 100. & alios. Verum de hoc alibi: nam in cap. 1. §. 1. de Statu Regulor. in 6. sub pari prohibitionem etiam statuitur, ut nulli aliquatenus inhoneste personae, vel etiam honeste (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad eundem Moniales & c. Etque haec Constitutio novissime innovata per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 5. de Regular.

46. Queritur IV. Qualiter, quibusque sub penis, Clerici abstinere teneantur a crapula, & ebrietate? Ubi praenotandum, quod quidem hodie Crapula accipit solet pro excessu in potu, quoniam tamen, quam sit ebrietas: proprie tamen, ac in sensu SS. Canonibus intento, sicut ebrietas excessum in potu, ita crapula excessum in cibis significat. Hinc Glossa 1. in c. Crapula 14. h. t. & Abbas ibid. n. 1. h. t. inquit, quod Crapula, dicitur immoderata voracitas ciborum. Et dicitur Crapula, quasi Cruda epula: quia homines ita voraciter epulantes, nimiamque ciborum superfluitatem assumentes, perfectae non digerunt, sed materiam indigestam emittunt. Et hanc ciborum immoderantiam pluribus perstringit S. Hieronymus, relictus can. Ne tales. & can. Legimus de consecrat. dist. 5. Nec immerito: nam quid foedius, quam hominem a brutis animalibus naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris sui quasi mancipium agit, dum bona sua dissipat, valetudinem laedit, morbos accerit, ac vitam ipsam abrumptit, juxta illud Ecclie-

stastici cap. 37. In multis eiosis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinentes est, adiciat vitam: cum similibus.

Caeterum Ebrietas refertur ad superfluitatem potus: & dicitur Ebrietas ab e, quod est sine, & bria, quod est mensura: sicque est potus immoderatus causa voluptatis. Unde Ebrius dicitur, qui sine mensura bibit: hoc est, usque ad privationem usus rationis. Glossa lo. cit. Et ab hac nos revocare volens Salvator, Lucae cap. 21. praecipit, dicens: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula, & ebrietate. Et D. Apostolus ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; cum concordantibus. Idque praecipit esse observandum Clericis, utpote in sortem Domini specialiter vocatis, patet ex Sacris Canonibus, gravissimas penas in transgressores statutibus; ut patet ex can. 41. Apostolorum. & can. ul. dist. 35. & alibi. Quo praenotato,

Resp. I. Aded Clericis a crapula, & ebrietate abstinendum est, ut si quis eorum transgressus fuerit, & monitus non desistat, ab officio, vel beneficio, per Superiorem suspendendus sit. Textus est in c. Crapula. 14. h. t. ubi relatum Concilium Generale penetranter sic praecipit: A crapula, & ebrietate, omnes Clerici diligenter abstineant: unde vinum sitim temperent, & se vino. Nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum ab usum penitus decernimus abolendam, quo in quibusdam partibus ad potus aequales suo modo se obligant potatores. & ille iudicium talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices facinorosis exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore communitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur. Haec ibi. Quibus similia habentur can. Episcopus. dist. 35. ubi ex Canonibus Apostolorum statuitur: Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus alee, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem privetur. Concordat novissime Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de Reform. sub eisdem penis per antiquos Canones statutis, vel etiam majoribus, arbitrio Ordinarum infligendis, decemitem vite morumque compositionem, simulque abstinentiam a luxu, comestitionibus, choreis, aleis, lufibus, ac quibuscumque criminibus, feriose iungens.

Caeterum ratio tam rigida, saepiusque repetite in Jure prohibitionis, est imprimis gravissima Dei offensio, propter quam ebriosis regnum Dei non possidebunt, 1. Corinth. 6. Utpote, quorum Deus venter est, teste Apostolo ad Philipp. cap. 3. Accedit, quod ebrietas & mentis inducat exitium, libidinis provocet incentivum, juxta textum proximae allegatum ex c. Crapula. h. t. Siquidem luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens; ut legitur can. Luxuriosa. dist. 35. Quin imo ebrietas omnium vitorum fomes, ac marix est; uti testatur Concilium Agathense, relatum can. Ante omnia. dist. 35. cum concordantibus.

Resp. II. Memorata poena suspensionis ab officio, vel beneficio, in Clericos ebriosos statuta, non est lata, sed ferenda: primum sententia: simulque relinquitur arbitrio Judicis, an Clericus taliter delinquens, atque post monitionem non abstinens, potius sit suspendendus ab officio, vel a beneficio. Prior pars liquet ex eo. Tum quia ad incurrendam ejusmodi poenam suspensionis requiritur praevia monitio Superioris, sive Judicis; & consequenter non incurrit ipso jure. Tum quia ly, suspendatur, importat actionem Judicis: ac proinde signum est, hujusmodi poenam esse ferendam sententia; sicque post praeviam

§. II. De honestate vitae Clericalis in genere, & quoad &c. 9

praeviam monitionem a Judice primum indigendam, conformiter dicitur supra Lib. I. Tit. 2. De Constitut. §. 9. n. 211.

51. Altera pars est Glossa fin. cit. c. Crapula & Abbatibus ibid. n. 4. & Barbosa n. 6. h. t. Menochii de Arbitrar. Judic. lib. 2. cas. 404. n. 4. & communis aliorum. Siquidem in relato c. Crapula. h. t. aperte relinquitur arbitrio Superioris, seu Judicis, non solum, quando Clericus ebriosus post monitionem poenam suspensionis sit afficiendus; sed etiam, an in poenam sui excessus suspendendus sit ab officio, vel potius a beneficio: hoc enim importat alternativa illa, ab officio, vel beneficio suspendatur. Judici enim est videre, quamnam poena pro qualitate excessus magis expediat, arg. c. Quoniam. §. fin. Ut lite non comestitad. & c. Latores. 4. de Cleric. excommunic. ministrant. cum similibus.

52. Nec obstat textus in l. Quicumque §. 1. C. de Servis fugitiv. ubi in penis alternativis optio datur Reo, quam poenam maluerit sustinere. Resp. enim cum Bartolo ibid. n. 4. & Abbate cit. c. Crapula. n. 4. h. t. illud procedere, quando verba poenam imponentia dirigitur ad Reum: quia tunc electio poenae est ipsius Rei, ut est casus in cit. l. Quicumque. Secus dicendum, quando verba poenam imponentia dirigitur ad Judicem; vel saltem absolute & impersonaliter profertur, v. g. dicendo: Punietur hoc, vel illo modo; Suspendatur ab officio, vel beneficio. Tunc enim electio est Judicis, qui pensata gravitate delicti, & qualitate personatum, aliisque circumstantiis, prudenti iudicio alteratam poenam taxabit; ut in casu cit. c. Crapula. h. t.

53. Resp. III. Insuper ad magis evitandum ebrietatis periculum; Clerici omnes generaliter prohibentur, edendi, vel bibendi causa, ingredi tabernas cauponarias; nisi itineris necessitate compellantur. Textus est in c. Clerici 15. h. t. & can. Non oportet. & can. Clerici. dist. 44. juncto can. Nulli ead. dist. 44. ubi Clericus jubetur deponi, qui tabernam habere, vel etiam ingredi, non cessaverit. Concordat can. 53. Apostolorum, ubi dicitur: Si quis Clericus in cauponarium capere deprehensus fuerit, a communione excludatur; excepto tamen eo, qui necessarius in itinere in commune diverterit hospitium. In praxi tamen attendantur salubres singularum Dioecesium Constitutiones, seu consuetudines, poenaeque per eas transgressoribus statuae.

54. Queritur V. Quid Sacri Canones statuunt circa avaritiam, praecipue Clericis fugiendam? Resp. I. Inter alia, qua vitam, honestatemque Clericorum vel maxime commaculant, est vitium avaritiae, a quo proxime cum primis Clericis oportet esse alienos. Textus est in can. His igitur. dist. 23. & can. Quero ergo. 6. q. 1. ubi avaritia haereticis aequiparatur. Quin imo ea etiam Idolorum servitus ab Apostolo nominatur, ad Ephes. cap. 5. & Coloss. c. 3. Unde & can. Cum omnis. 1. q. 1. dicitur: Cum omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc, & maxime in dandis Ecclesiasticis honoribus, vigilanter non praecavet, infidelitatis perditioni subicitur, etiam si tenere fidem, quam negligit, videatur: cum similibus.

55. Accedit ratio. Tum quia avaro nihil est sanctius, uti legitur Ecclesiastici cap. 10. cum similibus. Tum quia Clerici, utpote in sortem Domini vocati, ex rebus Ecclesiasticis (vel saltem ex bonis patrimonialibus, ad quae fuerint ordinati) jam habent, unde honeste vivant: ac proinde sibi peculiariter dictum intelligant ab Apostolo, 1. ad Timoth. 6. scribente: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inuutilia & nociva, quae mergunt hominem in interitum & perditionem & c.

Resp. II. ut Clerici a detestando avaritiae vitio eo magis reddantur alieni, plura per Sacros Canones eidem prohibentur, quae vel ex avaritia proficisci; vel ad eam inducere solent. Sic imprimis prohibentur Clerici officia, vel mercancia secularibus exercere, maxime inhonesta. Textus est in c. Clerici. 15. h. t. quod est desumptum ex Concilio Generali, seu Lateranensi celebrato sub Innocentio III. Concordant ea, quae habentur toto Tit. Ne Clerici, vel Monachi & c. Nam ut inquit D. Apostolus 2. Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Verum de hoc plura inferius §. 5. num. 126. & seqq.

Deinde Clericis severissime prohibitus est alearium, seu taxillorum lusus (id est, omnis ille lusus, qui magis fortunam, quam arte, vel industria ludentium regitur) uti liquet ex can. 41. & 42. Apostolorum: ubi in transgressores, nisi desinant, statuitur poena depositionis, aut excommunicationis. Concordat can. Episcopus. dist. 35. cujus verba num. 48. relata sunt. Et textus expressus in c. Clerici. 15. h. t. ibi: Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi lufibus inter sint: juncto Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 1. de Reform. poenas antiquorum Canonum deluper innovante.

Unde ex tam multiplici rigida prohibitionem, si mulque adjunctis penis, non nisi pro peccato mortali imponi solitis, communiter colligunt Doctores, ac praesertim Navarrus cap. 20. Manual. n. 9. Sylvester y. Ludus. quest. 4. Layman lib. 3. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 21. n. 1. & alii ab his relati, quod Clericus lucri gratia, & pro magna quantitate taliter ludens, peccet mortaliter: praesertim, si frequenter, aut publice cum scandalo aliorum id fiat. Secus foret dicendum, si solius recreationis causa, distractionis, vel charitatis, ergo, Clericus ex bonis patrimonialibus (vel etiam ex Ecclesiasticis, sed in modica duntaxat quantitate (speclato statu suo) sine aliorum scandalo, privatim semel, aut bis, vel ab breve tempus ita luderet: nam Canones relati loquuntur de illis, qui aleas, atque ebrietati deserviunt; id est, crebro, & per longum tempus ludunt, vel lufui ejusmodi valde servium; ut explicat Glossa cit. can. Episcopus. dist. 35. y. Deserviens. Layman lo. cit. Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 26. dubit. 1. n. 5. & 6. & alii; ac dixi ego ipsemet Tract. 8. Theolog. Moral. dist. 4. n. 110. & 111.

Uterius ad tollendam quoque avaritiae speciem, praecipitur c. Cum ab omni. 10. h. t. Ecclesiasticis Judicibus, ut gratis judicare debeant; nec exigere possint decimam, vel aliam quotam litis, haud obstantes quaecunque consuetudine in contrarium. Idque merito: cum nec justum iudicium Judici vendere liceat; simulque ad hoc Clericis sint Ecclesiastici reddidus deputati, ut ex ipsi honeste vivere, ac proinde vigorem judicarium gratis litigantibus impertiri debeant: prout argumentatur Pontifex ibid.

Resp. III. Ad removendum eo amplius avaritiae fomitem, nonnulla etiam Sacri Canonis Clericis faciendae praecipunt. Et primo quidem, ut bona superflua atque intutu Ecclesiae acquisita, vel in pauperes, aliaque pia causa erogare teneantur, can. Quia tua. 12. q. 1. & can. Res Ecclesiae. & can. Clericus. ead. caus. 1. 2. q. 1. & can. Quoniam quidquid. 16. q. 1. cum similibus. Vel saltem Ecclesiae suae, cui interserviant, relinquere debeant, c. Inquirendum. 4. & c. Si quis san. 5. de Peculo Cleric. Non autem de ipsis per testamentum, vel alio modo mortis causa disponere valeant, cap. 1. l. & c. Cum in officiis. 7. & c. Quia nos. 9. de Testam. & alibi. Idque saluberrime per Sacros Canones constitutum fuit, ut Clerici haec ratione absterneantur a congregandis copiosis, & saepe superfluis bonis Ecclesiasticis; promptiorque reddantur ad eadem, majori cum merito, in vivis eroganda in pias causas,

causas, dum norunt, nullam sibi potestatem superesse de ipsis post mortem disponendi. Navarrus Tract. de Redditibus Ecclesiasticis. quest. 3. monit. 1. n. 2. Quidquid sit de consuetudine testandi ad pias causas, alticubi Clericis concessa, & de qua alibi.

61 Deinde Sacri Canones hospitalitatem in Clericis; praesertim Beneficiariis, requirunt veluti debitam. Unde dist. 42. §. 1. legitur: Hospitalitatem oportet esse Sacerdotem, ne sit in numero eorum, quibus in iudicio dicitur, Matth. 25. Hospes eram, & non collegistis me. Qui enim Apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet invitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Haec ibi; plura de hospitalitate Clericorum, praesertim Episcoporum, nervosius subiungendo. Unde S. Hieronymus, relatus can. Quoniam, 16. q. 1. notanter inquit: Quoniam quidam habent Clerici, pauperum est; & domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum & hospitum, invigilare debent &c.

62 Idque fit pluribus de causis, quas enumerat Hostiensis in Summa, tit. de Temporib. Ordinar. n. 20. §. Septima. Primò siquidem non potest esse hospitalitatis exhortator, qui domum tuam Hospitibus claudit, cit. dist. 42. §. 1. Deinde, pietas hospitalitatis remuneratur temporaliter, & aeternaliter; juxta illud Apostoli 1. Timoth. 4. Exerce te in sum ad pietatem: nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem utilis est ad omnia, habens promissionem vitae, quae nunquam est, & futurae. Tandem hospitalitas ita placet Deo; ut quidam Angelos hospitio recepisse legantur, can. Quiescamus. dist. 42. Iud & Dominum Angelorum; ut factum refertur in pluribus Hieronimi, & concordat illud Salvatoris, quondam in die extremi iudicii ad Electos suos dicturi, Matth. 25. Hospes eram, & collegistis me. Et hinc, quòd ob pluralitatem Beneficiorum, simul à nonnullis retentorum, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non observatur; deplorat inter alia Pontifex in extravag. Execrabilis. §. 1. de Praebend. inter Communes: unde ponderando in relatis verbis, debita, patet, hospitalitatem in Clericis praesertim Beneficiariis, esse debitam.

§. III.

De obligatione Clericorum deferendi Habitum & Tonsuram, hujusque Formam.

S U M M A R I U M.

- 63 Clerici tenentur deferre habitum, tonsuramque suo statui congruentem.
64 Haec obligatio concernit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, ac etiam Clericos inferiores, si beneficium Ecclesiasticum obtineant.
65 Aut saltem jus in Beneficio, vel ad illud habeant.
66 Rigor Constitutionis Sixti V. Cum sacrosanctum, non est ubique usu receptus. Et numero 64. ac 65.
67 Esque per aliam Bullam ab eodem Pontifice non nihil temperata.
68 Clerici non sunt obligati ad portandas duas vestes longas.
69 Clerici in minoribus Ordinibus constituti, & Beneficium non habentes, non tenentur ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem.
70 De facto tamen non gaudent privilegio Fori, nisi habeant unam ex conditionibus à Concilio Tridentino praescriptis.
71 Quidquid olim fuerit spectato Jure communi,

- 72 Clericus Minorista, si dimittat habitum, siquidem non gaudeat privilegio Fori, post reassumptum habitum recuperat illud.
73 Episcopus non prohibetur procedere contra Clericos Minoristas delinquentes, nisi nullam habeant conditionem ex requisitis à Concilio Tridentino.
74 Refertur quoad hoc Declaratio sacrae Congregationis.
75 Dummodò Clerici illi permaneat Clerici: idque declaratur.
76 Sufficit quilibet trium conditionum à Concilio Tridentino praescriptarum, ut Clericus gaudeat privilegio Fori.
77 Aded, ut habeat Beneficium, etsi non deferat habitum, eodem privilegio gaudet.
78 An autem ad hoc sufficit habere Titulum Beneficii, vel requiratur possessio hujus, variant Doctores. Et num. seqq. Refertur sententia negantium, sufficere solum Titulum. Ibid.
79 Affirmativa sententia est probabilior &c.
80 Clerici Minoristae, spectato Jure communi, gaudent privilegio Canonis, etsi nullam habeant conditionem à Concilio Tridentino praescriptam.
81 Idque probatur.
82 Solvitur instantia. Differentia notabilis inter privilegium Fori, & Canonis. Ibid.
83 Secus potest accidere de speciali locorum consuetudine.
84 Tonsuram Clericorum nullus deferre debet, nisi tam ab Episcopo acceperit &c.
85 Ea antiquitus fiebat raso desuper, ac inferius capite in modum sphaerae: & hujus mystica significatio.
86 Et qualiter hodie fiat?
87 Clerici Beneficiatis, aut existentibus in sacris Ordinibus, etiam prohibitum est laxare comam.
88 Aded, ut transgressores peccent, possuntque excommunicari.
89 Nisi subsit justa causa comam nutriendi, seu relaxandi.
90 Potest excusari praxis Clericorum gestantium comam scitiam, seu Veruccam.
91 Missam verò celebrare cum coma scitiam, absque legitima dispensatione, est prohibitum.
92 Et quis possit talem dispensationem concedere?
93 Refertur Edictum, de Mandato Innocentii XII. in Diecesi Frisingensi desuper publicatum.

Quæritur I. An, & sub qua obligatione Clerici tenentur deferre habitum, & tonsuram Clericalem? Resp. I. Ad honestatem vitæ Clericorum inter alia pertinet, ut ipsi deferant habitum, & tonsuram suo Ordini, statuique congruentem. Textus est in can. ult. dist. 41. & c. Clerici officia. 15. h. t. ubi in Concilio Generali legitur Clericis præceptum in hæc verba: Coronam, & tonsuram habeant competentem. Clausa desuper desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda &c. plura protinus subiungendo, quæ veluti repugnantia statui suo, Clericis in vestitu sunt evitanda. Concordat Clem. Quoniam. 2. h. t. plura pariter statuens circa habitum, tonsuramque Clericorum, & transgressoribus certas penas imponens. Hancque additis aliis penis, innovavit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 6. de Reform. optimam hujus reddens rationem illis verbis: Est habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.

Resp. II.

- 64 Resp. II. Hujusmodi obligatio deferendi habitum, & tonsuram, non solum concernit Clericos in sacris Ordinibus constitutos; sed etiam Clericos inferiores, si beneficium Ecclesiasticum habeant. Ita communis; etque expressè, & quidem sub gravissimis penis statutum, in cit. Clem. Quoniam 2. h. t. & Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 6. de Reform. cujus verba inferius num. 160. referentur, explicando simul penas transgressoribus statutas. Accedit: Constitutio 92. Sixti V. quæ incipit, Cum sacrosanctum (& refertur Ton. 2. Bullar. Romani) in qua idem Pontifex quibuslibet Clericis etiam Clericali tantum Tonsurâ insignitis, ac Beneficium, vel etiam pensionem duntaxat Ecclesiasticam habentibus, sub pena privationis horum ipso facto incurrenda præcipit, ut Tonsuram & habitum Clericalem, vestes scilicet talares deferant: eo addito, ut in futurum non nisi actu Clericis in habitu Clericali & tonsurâ incidentibus, quæcumque Ecclesiastica, etiam simplicia beneficia, conferantur &c. Quod ipsum Pontifex ibidem extendit ad Milites, sub aliqua approbata Regula viventes, & pensionem, vel Beneficium Ecclesiasticum habentes, nisi incedant in habitu militari lux Militiæ proprio: prout uberius continetur in memorata Bulla.
65 Quinimò citata Constitutio Sixtina obligat Clericos quoscunque ad deferendum habitum, non solum, quando jam obtinent beneficia Ecclesiastica quæcumque; etiam simplicia (percipiendo videlicet fructus eorum) sed etiam, quando in illis, vel ad ea jus habent: aded, ut si secus fiat, eos Pontifex sine ulla alia monitione, citatione, Judiciali Decreto, aut ministerio, ipso facto privatos declarat, ac tam beneficia ipsa per privationem hujusmodi vacare, & liberè aliis conferri posse, quàm etiam pensiones cassatas &c. decernat, eorumdemque collationem Romano Pontifici reservert. Nec mirum: Siquidem Clericus Minorista habens jus ad Beneficium, puta, jus Canonice cum expectatione Præbendæ, jam reputatur pro Beneficiario, arg. c. In nostra. 32. junctâ Glorâ sin. & DD. ibid. de Rescript.
66 Veruntamen, quòd rigor citatæ Constitutionis Sixtinae non sit ubique usu receptus, saltem quoad hoc, ut non deferentes habitum, & tonsuram, absque ulteriori monitione, sint ipso facto privati Beneficiis; notat Nicol. Garcias part. 7. de Beneficiis, cap. 1. num. 23. Ludov. Engel h. t. n. 8. & Barbosa part. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 9. num. 14. citans alios.
67 Illud est certum, quòd eadem Bulla Sixti V. Cum sacrosanctum, per aliam Bullam, quæ incipit, Pastoralis, atque in Bullario Romano priorem immediate sequitur, ab eodem Pontifice non nihil fuerit temperata: declarando videlicet, quòd ipsa non ardeat certos Clericos Papæ Familiares, atque Officiales Curie Romanæ, quatenus in habitu Laicali sua munia promptius, expeditiusque obire valeant; uti loquitur Pontifex. Neque etiam procedat in illis, qui pensiones, seu fructus, aut prædicia, vel bona Ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata, & concessa, summam seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de Camera infimum non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum. Aut si excedunt, non aliter Clerici pensionarii ad gerendum habitum Clericalem tenentur, nisi postquam pensiones, fructus, & alia præfata cum effectu exigere, aut percipere ceperint: vel per eos steterit, quo minus exigant, vel percipiant: prout inter alia loquitur memorata Bulla, Pastoralis.
68 Notant tamen Doctores, & signanter Garcias part. 7. de Beneficiis, cap. 1. num. 23. & Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiastic. univ. cap. 40. num. 30. allegans alios, quòd per dictas Constitutiones Clerici non sint obli-

gati ad portandas duas vestes longas; sed sufficit, quòd exterior sit talis, can. penult. dist. 23.

Resp. III. Cæteri Clerici in minoribus Ordinibus constituti, & beneficium Ecclesiasticum, seu jus ad illud nondum habentes, ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem nequaquam tenentur. Ita communis. Nam cit. Clem. Quoniam. 2. h. t. sicut & Constitutio Sixtina, atque Concilium Tridentinum lo. ci. dum Clericis imponunt obligationem clericalem incedendi, expressè loquuntur de Clericis in Sacris, vel beneficium Ecclesiasticum, aut saltem jus ad illud habentibus: siquæ ipso facto interpretantur, atque declarant, antiquiores Canones, qui videntur generaliter omnibus Clericis præcipere, ut coronam & tonsuram habeant congruentem, cap. 4. & cap. penult. h. t. cum similibus, de illis duntaxat esse intelligendos, non autem de Clericis Minoristis nullum Beneficium habentibus: quamquam tales de non amplius sint gavisturi privilegio Fori. Quod ultimum ut melius intelligatur,

Quæritur II. Utrum Clerici Minoristæ, non deferentes habitum & tonsuram, gaudeant privilegio Fori, & Canonis? Resp. I. Est tales Clerici, si beneficium Ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem non tenentur, ut dictum: nihilominus ipsi de facto non gaudent privilegio Fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 6. de Reform. præscripsit, in hæc verba noviter statuendo: Et etiam (videlicet primò) Tonsurâ initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus; Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesie, ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel in Seminario, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos, versetur. Hæc Concilium.

Ex quibus verbis aded claris manifestè patet, quòd de facto Clericus nullam dictarum trium conditionum habens, privilegio Fori non gaudeat; siquæ non possit declinare jurisdictionem Judicis secularis. Quidquid olim fuerit spectato Jure communi: nam huic quoad propositum, derogatum est per relatum Concilium Tridentinum. Aloys. Riccius part. 1. Praxis Fori Ecclesiastic. resol. 540. n. 4. & resol. 541. n. 2. Navarrus Consil. 25. de Privileg. & alii.

Notat tamen Bellettus Disquisit. Cleric. part. 1. de Favore Clericor. personal. §. 2. n. 29. & §. 8. n. 15. & Card. de Luca in Annot. ad Concil. Trident. Discurs. 24. n. 35. & 36. & quòd si Clericus Minorista, deserviens, v. g. ex mandato Episcopi cuiuspiam Ecclesie, dimittat habitum, siquæ non gaudeat privilegio Fori: nihilominus, si postea is realitatem habitum & tonsuram Clericalem, recuperet privilegium Fori. Ratio est: quia huic privilegio non potest Clericus renunciare, nisi facto ipso: atqui factum ejusmodi jam tollitur per reassumptionem habitus; ergo. Sequitur proinde, quòd si Clericus Minorista tempore commissi delicti non gesserit habitum, modò autem post delictum, & ante condemnationem, atque capturam eundem reassumat, recuperet privilegium Fori. Glossa in Clem. 1. §. Quamdiu. h. t. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 46. n. 29. Covarruvias Pract. Quest. cap. 31. n. 8. Alexander Consil. 8. n. 4. vol. 1. Julius Clarus §. 5. quest. 36. n. 15. Bellettus §. 8. n. 15. & 16. sed istud limitans, dummodò reassumptio habitus non fuerit facta in fraudem. Verum de hoc posteriori videantur ea, quæ superius lib. 2. Tit. 2. De Foro competent. §. 10. n. 262. & 267. ac seqq. fultus, atque ex professo dicta sunt.

Notat ulterius Garcias part. 2. de Beneficiis, cap. 73. 2. n. 16. & seqq. & novissimè Card. de Luca de Jurisdiction. Discurs. 55. n. 5. & seqq. allegans terminis Declarat.

Declarationem Sac. Congregationis Concilii, in causa Leodienf. die 12. Novemb. 1630. quod quidem Clerici Minoritas, nullam præmissarum conditionum habentes, non gaudeant privilegio Fori, & ita ipsi non possint declinare jurisdictionem secularis Judicis: non tamen idcirco prohibetur Episcopus, quin contra eos delinquentes possit procedere, illisque punire, quamdiu ipsi adhuc Clerici permaneant. Ratio est: Quia dictum Decretum Concilii Tridentini rectè quidem procedit in odium ipsius Clerici, nullam dictarum conditionum adimplentis, ne scilicet Forum laicale declinare possit: non autem ad ejus favorem, seu ut sibi sub hoc prætextu liceat declinare jurisdictionem Episcopi sui; utpote quæ huic ab antiquo competeat in Clericis tonsuratos, neque per Concilium Tridentinum revocata intelligitur.

74 Hinc in facti contingentia, cum quidam Lælius Clericus, defectum debitum conditionum patiens, per Curiam sæcularem incarcerationis fuisset, postea obtinuit remitti ad Episcopum suum: sed cum tractu temporis, ob rerum statum immutatam, agnosceret sibi magis expedire, habere Judicem laicum, quam Ecclesiasticum, isto volente in causa procedere appellavit, causâ tamen introductâ in Rotâ succubuit; uti refert Cardin. de Luca cit. Discurs. 55. in fine ejusdem referens citatam Declarationem Sac. Congregationis, quam Sanctitas Sua approbavit, videlicet: ut Clerici, etiam non habentes requisita cap. 6. Sess. 23. de Reformat. licet ipsi, tanquam contravenientes ordinationi S. Concilii, non possint pro se allegare privilegium Fori, nihilominus subsint jurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum, & illorum jurisdictioni, ne dum in causis, in quibus non prævenerunt, sed illos à manibus Judicis Laici repetent, quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant; videlicet, si neque à jure, neque ab homine per declarationem, seu factam privilegii Clericalibus denudati, seu privati sint. Hæc ille, sub Discurs. 24. in Annotat. ad S. Concilium Trident. n. 41. id ipsum docens; videlicet, quod ejusmodi Clericus in ejus odium utriusque Foro subiectus remanebit, ut pluries declaravit hæc Sac. Congregatio, ac etiam Rota. Ita Card. de Luca.

75 Additur notanter in relata Declaratione Sac. Congregationis, quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant &c. Tum ad excludendos Clericos bigamos, utpote qui ipso jure omnibus Clericalibus privilegiis denudati sunt, & coercitioni Fori secularis astricti, cap. un. de Bigamis in 6. Tum propter Clericos conjugatos, qui non habent requisita cap. 1. de Cleric. conjug. in 6. juncto Concilio Tridentino Sess. 23. c. 6. de Reformat. Nam etiam tales ipso jure privati sunt privilegiis Clericalibus, per Jura proximè relata: adeoque non censentur permanere Clerici; ita ut nec retineant privilegium Canonis, can. Si quis suadente. 17. q. 4. Garcias cit. cap. 2. n. 18. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 46. n. 1. & 2. & alii. Tacentur Clerici degradati, & Curie seculari traditi, & nonnulli alii, qui prævit debnâ monitione, ac subséquâ declaratione Judicis Ecclesiastici, sicque ab homine omne privilegium Clericale amiserunt, de quibus alibi.

76 Resp. II. Cum Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 6. de Reform. loquatur sub disjunctione, Aut, Vel; uti liquet ex verbis ejusdem num. 70. relatis: hinc passim fatentur Doctores, quod sufficit qualibet illarum trium conditionum à Concilio præscriptarum, ut Clericus tonsurâ Clericali insignitus, vel etiam in Ordinibus minoribus Clericali insignitus, privilegio Fori gaudeat. Nam, ut Reg. 70. Jur. in 6. loquitur: In alternatim sufficit alterum impleri, cum concordantiis.

77 Et hoc adeo procedit, ut Clericus habens beneficium Ecclesiasticum, etiam si non deferat habitum

& tonsuram Clericalem, nihilominus gaudeat privilegio Fori. Quia licet peccet, postquam idcirco puniri; nihilominus in ordine ad participandum privilegium Fori, Concilium Tridentinum in habentibus Beneficium non requirit dictam delationem habitus, & tonsuræ: sed hanc duntaxat expostulat in inservientibus alicui Ecclesiæ, vel in Seminario Clericorum, Schola, seu Universitatè versantibus; uti liquet ex relatis verbis ejusdem Concilii. Ita Nicol. Garcias part. 2. de Beneficiis, cap. 2. num. 4. Gonzalez ad Reg. 8. Cancel. gloss. 5. §. 5. num. 6. Farinacius in Praxi Criminali, lib. 1. quest. 8. num. 70. Aloys. Riccius part. 1. Praxi Fori Ecclesiast. resol. 541. num. 2. Belletus part. 1. Disquisit. Clerical. tit. De Favore Clericor. personal. §. 8. num. 8. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. §. 2. n. 13. citans plurimos alios.

78 Controvertunt tamen Doctores, utrum ad participandum privilegium Fori sufficiat habere titulum Beneficii, seu jus in re respectu illius, vel insuper requiratur possessio illius: adeo, ut si Clericus non incedens in habitu & tonsura Clericali, capiatur à Judice seculari, & ipse petat se remitti ad Judicem Ecclesiasticum, sufficiat docere de solo titulo Beneficii; vel etiam requiratur, ut doceat de obtenta possessione ejus? Et quidem non sufficere solum titulum, sed insuper requiri, quod Clericus Minorita ad participandum privilegium Fori probet possessionem, seu quasi possessionem Beneficii; adeoque, si non incedat in habitu Clericali, capiaturque ob delictum à Judice seculari, non sit remittendus ad Judicem Ecclesiasticum: tenet Card. Tuschus Litt. B. Concl. 78. num. 8. Julius Clarus in Practic. Criminal. §. An. quest. 36. n. 21. vers. Illi tamen. Farinacius lib. 1. Praxi Criminal. quest. 8. n. 70. Staecia tract. de Judiciis, cap. 11. num. 82. ac novissimè Card. de Luca in Annotat. ad S. Concil. Trident. Discurs. 24. num. 16. Ratio hujus sententiæ esse potest, quam assertit Garcias part. 2. de Beneficiis, cap. 2. num. 11. & seqq. Quia (inquit) decentia, quæ consideratur in proposito, ut habens Beneficium non debeat per Judicem sæcularem judicari, non tam apparet ex titulo, quam ex possessione Beneficii.

79 Oppositam sententiam, videlicet sufficere solum titulum, tenet Flamininus Parisius lib. 7. de Resignat. Benefic. quest. 1. n. 46. & 47. asserens, quod si fuerit resolutum in Sacra Congregatione Concilii die 16. Julii 1587. Beneficium gaudere privilegio Fori ante adeptam possessionem. Et hanc Sacræ Congregationis Declarationem, asserentem, quod Clericus primæ Tonsuræ, habens jus in Beneficio ex provisione Papali, in suis causis civilibus gaudeat privilegio Fori, verbatim refert Garcias loc. cit. n. 14. licet eam postea intelligit de Clerico incedente in habitu Clericali, de quo tamen dicta Declaratio nullam facit mentionem. Eandem sententiam sequitur Gigas de Pensionib. quest. 64. n. 12. Bonacina Tom. 2. disp. 10. in Decalog. quest. 2. punct. 1. §. 4. n. 13. Diana Resol. Moral. part. 1. tr. 3. resol. 29. Lezana in Summa. tom. 3. §. Clericus. & Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. §. 2. n. 14. hanc sententiam appellans probabiliorē, & pro ipsâ allegans plures alios. Et certè, si Declaratio Sacræ Congregationis jam relata asseratur in forma authentica, isthæc sententia non solum erit probabilior, sed certa & indubitata; conformiter dictis supra in Proëmio Libri I. Decretalium §. 8. n. 126. 130. & seqq. Accedit ratio: quia in Beneficialibus non attenditur principaliter possessio, sed titulus, arg. c. Ex frequentibus. 3. de Institutionib. junctâ Reg. 1. Juris in 6. Quin imò in possessione non est aliquid spiritualitatis; uti loquitur Abbas c. Quod in dubis n. 8. de Renuciat.

80 Resp. III. Quamvis Clerici Minoritæ non habentes beneficium Ecclesiasticum, aut alias qualitates à

Concilio Tridentino cit. Sess. 13. cap. 6. de Reform. requiritas, Fori privilegio non gaudeant, ut dictum: nihilo minus spectato Jure communi, & seclusâ specialia locorum consuetudine, iidem privilegio Canonis non sunt privati. Ita Aloys. Riccius part. 1. Praxi Fori Ecclesiast. resol. 541. n. 5. asserens, quod ita censuerit Sacra Congregatio ad d. cap. 6. illis verbis: Clerici, qui in hoc decreto Concilii privilegio Fori privantur, privilegio tamen Canonis non intelliguntur privati. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 5. n. 7. eandem Declarationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, & sub istis verbis referens. Diana part. 3. tract. 5. resol. 82. dictam Sacræ Congregationis Declarationem allegans; atque inde concludens, quod percussens ejusmodi Clericum, incidat in excommunicationem. Fagnanus c. Si quis n. 72. de Foro compet. Garcias de Beneficiis, part. 2. cap. 2. num. 19. Belletus Disquisit. Clerical. part. 1. tit. De favore Clericor. personal. §. 8. n. 22. Barbosa part. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 12. n. 32. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 39. §. 2. n. 3. allegans plures alios: contra Felicianum de Censib. lib. 2. c. ult. n. 14. Layman lib. 1. Theolog. Moral. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 3. Sancesius tom. 5. de Censuris disp. 22. sect. 1. n. 11. Barozius 2. 2. q. 12. art. 1. circa fin. Gominch. de Sacrament. disp. 14. dub. 15. 163. & nonnullis alios.

81 Ratio Conclusionis est: quia de Jure communi omnes Clerici gaudent privilegio Canonis, can. Si quis suadente. 17. q. 4. simulque quoad istud privilegium, Concilium Tridentinum loc. cit. nihil innovavit, neque Juri communi derogavit; ergo neque nostrum est, hujusmodi innovationem inducere, sive Decretum Concilii Generalis de solo privilegio Fori loquens, ad privilegium Canonis extendere. Probatur consequentia. Tum quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori; l. Præcipimus. c. de Appellat. & l. Siverd. §. de viro. ff. Solutio matrim. Ubi Summarum ex Bartolo sic habet: Provisio legis contra Jus commune non extenditur ultra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. Tum quia, si Concilium voluisset in casu cit. cap. 6. comprehendere etiam privilegium Canonis, præter privilegium Fori, potuisset etiam illud expressisse: prout in simili argumentari potest ex l. Inter corporalia. §. Sed neque de Translat. Episcop. &c. Ad audientiam. 12. de Decimis. Tum tandem; quia correctio legum, veluti odiosa, quantum fieri potest, evitanda est, c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. ac proinde per tacitos, & subauditos intellectus non inducenda, neque allerenda. Glossa singularis in c. Cupientes. §. Quid si per viginti. §. Petere. de Election. in 6. estque amplius dictum supra Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. n. 419. & n. 500. & 501. ac seqq.

82 Dices cum Authoribus opposita sententia. Privilegium Canonis facilius amittitur, quam privilegium Fori; juxta Abbatem cap. 1. n. 6. de Apostat. Angulum §. Excommunicatio, §. n. 23. & alios, istud probantes ex eo: quia privilegium Canonis provenit ex Jure duntaxat humano, privilegium Fori autem ex Jure Divino, prout alibi jam dictum: ergo, licet Concilium Tridentinum cit. Sess. 23. cap. 6. expressè solum faciat mentionem de privilegio Fori; necessarium tamen, ob identitatem, imò & majoritatem rationis, inde colligitur, idem sensisse de privilegio Canonis. Resp. neg. consequent. Quia ad privationem privilegii Fori, non rite inferitur privatio privilegii Canonis: nam à diversis non fit illatio, l. Papinianus exuli. ff. de Minorib. Barbosa Axiom. mat. 114. citans alios. Hæc autem sunt valde diversa privilegia: etenim prius, sive privilegium Fori, lædit jurisdictionem Judicis sæcularium; sicque propter horum querelas, simulque ad coercendam insolentiam quorundam Clericorum, in Ordine Refferret Jus Can. Tom. III.

nibus minoribus duntaxat constitutum; & nullum ex requisitis conditionibus habentem, rationabiliter per Concilium Tridentinum sublatum fuisse dignoscitur. Secus dicendum de privilegio Canonis: illud enim nullius jurisdictionem lædit, sed refranat solummodò Laicos ab intrusis Clericis inferendis, quibus sunt infens. Fagnanus cit. c. Si quis. nu. 72. de Foro compet. Accedunt rationes num. præced. altæ, junctâ Declaratione Cardinalium in Conclusionem relata; quæ si asseratur in forma authentica, Conclusionem nostram reddet certam & incubitaram, ut proximè dictum.

Atque hæc procedunt, spectato Jure communi. & 83 seclusâ speciali locorum consuetudine, prout bene limitatur data num. 80. Conclusio. Quia enim privilegium Canonis solo Jure Ecclesiastico introducta fuit, simulque non desunt Doctores oppositam sententiam tenentes: hinc negari vix poterit, quin per contrariam, & legitimè præscriptam consuetudinem, ex hac parte rigori Juris Communis, seu privilegio Canonis quoad Clericos Minoritas, nullamque ex supra memoratis conditionibus habentes, derogari possit; atque in nonnullis locis, præsertim in nostris partibus, actualiter derogatum fuerit, juxta cap. ult. de consuetud. cum similibus: adeo, ut ejusmodi Clericum, habituque Clericali non incedentem percussens, excommunicationem late sententia non incurrat. Atque in hoc casu locum habebit contraria quorundam Doctorem opinio: eò præsertim, quia tales Clerici, seclusis singulis conditionibus à Concilio Tridentino, ubi supra, requisitis, vix amplius à Laicis dignosci valent.

84 Quæritur III. Quid dicendum de Tonsura Clericorum, formæque ipsius? Resp. I. Tonsuram Clericalem nullus deferre debet, nisi eam prius ab Episcopo acceperit. Ita habetur consuetum in 7. Synodo, cap. 14. ac refertur can. 1. disp. 69. Quamquam per hoc non negetur, quin etiam Abbates, si Presbyteri sint, & ab Episcopo Benedicti, possint suis Monachis primam Tonsuram conferre, cit. can. 1. disp. 69. &c. cum contingat. 11. de Etate & qualitat. præficiend. cum concordantiis. Ut taceatur Tonsura Regularis Monachorum, aliorumque Religiosorum, etiam Novitorum, quam juxta præscriptum, seu laudabilem consuetudinem propriæ Religionis, à Superioribus suis recipiunt: hæc enim non est Tonsura Clericalis, de qua impræsentiarum est sermo.

85 Resp. II. Tonsura Clericorum antiquitus fiebat raso desuper capite in modum sphaeræ, & infernis quoque; ita, ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret, can. Prohibete. & can. penult. disp. 23. Ad eum videlicet modum, quo hodie Monachi, & Regulares, capita sua radere consueverunt. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. num. 7. Hujus autem mysticæ significatio declaratur in can. Duo sunt genera. 12. q. 1. illis verbis: Hi namque (Clerici) sunt Reges, id est, se & alios in virtutibus regentes; & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectantur. Raso vero capitis, est temporalium omnium depositio. Hæc ibi: quod ipsum amplius declarat Glossa in Clem. 2. §. Et tonsuram. h. t. Aliam adhuc rationem assignat Ven. Beda lib. 4. H. flor. cap. 22. dicens, Clericos in memoriam spinæ coronæ Domini capillos in formam coronæ detonsos gestare.

86 Additur tamen in Conclusionem, Tonsura Clericorum antiquitus fiebat &c. Quia, licet olim tonsura Clericorum fuerit talis, ut totum caput raderetur, solo relicto crinium circulo in medio, ut dictum: tractu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut memoratâ coronâ